



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 115. Religiosi quibusdam Ordinum edictis obluctantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. dines Antverpiæ, ut dictis fidem face-  
A.C. 1578. rent, suamque sinceritatem testatam

redderent, novam constitutionem promulgabant die vigesimo primo Aprilis, qua denuo Gandavenis pacificationis observatio sancitur, singulis in eam iurando adactis, prohibeturque, ne quis cum hoste commercia habeat, nec in concionibus, sermonibusve offensivis plenas voces, aut convitia in Mathiam, Araucionensem, Ordinumque Proceres jaciatur: mandabatur insuper juris Præfectis, ut in eos, qui extra Hollandiam, ac Zelandiam aliquid contra Religionem Catholicam & Apostolico-Romanam attentaverint, aut in ejus offensionem quidquam moliti fuerint, juris rigore, & executione utantur: verum hoc decretum haud quamquam prosperum successum fortiri poterat, eoquod Protestantium numerus longe prævaleret.

§. CXV.

*Religiosi quibusdam Ordinum edictis oblitantes.*

*Thuan. l. c.*

**H**is ita peractis Ordines quantocius Clericos convocabant, eosque Sacramento adigere nitebantur, ut nuperum Gandavenis pacificationis edictum in usum deducerent: equidem omnes Belgii Præsules haud cunctanter

Sæcul. XVI.  
A.C. 1578.

ter hoc iuramentum præstitere: Jesuitæ tamen, cum fidem suam ita obstringere omnino renuerent, die decima octava Maji Antverpia ejeti sunt, navigiis Mechliniam advecti, inde vero Joannis Austriaci jussu Lovanium translati sunt. Recusabant etiam idipsum ab initio Franciscani, sed a sacro Ordine persuasi ex iis viginti Sacramentum dicunt: novendecim vero, qui animum contra id obfirmaverunt, & in iis Coenobii custos, extra urbem relegantur: cum autem fremeret plebs, & universos exturbandos seditiose clamaret, comprehensis duobus seditiosis, qui arma quasi in coenobium vim facturi sumperant, & iis extremo supplicio affectis tumultus quievit.

Postea propter acres sermones Cornelii Adriani, qui cum aliis Franciscanis sese decreto subjecerat, necnon ob quorundam Fratrum, quos Laicos vocant, accusationes rursus in eos odium Magistratus adeo recruduit, ut in horum Religiosorum vitam inquiri juberet, ubi iidem multis propterea injuriis afficiebantur; quippe eorum plures de multis criminibus insimulabantur. ac illorum tres ad ignem damuati, & totidem per urbis compita virgis cædebantur.